



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

7. Quando & à quo tempore interponi debeat appellatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

Quod si Judex laicus commiserit causam Episcopo, ab ejus sententia ad delegantem laicum vel ejus superiorem laicum provocabitur. Si duo Judices pronuntiaverint, quorum alter sit laicus, alter Ecclesiasticus appellandum est ad superiorem Ecclesiasticum, quippe digniorem, Maranta 6 p. acta 2. n. 392. Sicut & quando laicus & Clericus sunt arbitratores, restrictio fit ad superiorem Ecclesiasticum Maranta d. loco n. seq. Si laicus pronuntiaverit se Judicem competentem in aliqua causa spirituali, non appellabitur ad ejus superiorem laicum, sed Episcopum, Maranta d. loco n. 397.

6. Denique si per errorem quis ad alium Judicem, quam debuit, provocaverit, distinguendum: nam si ad alium majorem provocaverit, error ei non nocet; si ad minorem, l. 1. §. si quis in princ. D. h. r.

§. VII.

Quando & à quo tempore interponi debeat appellatio.

1. Tempora fatalia appellationis tria.
2. Tempus introducenda appellationis hodie 10. dierum.
3. Idque à die lata sententia, vel scientia; & est continuum.
4. Lapsus eo tempore appellatio fit deserta.
5. De appellatione tertii.
6. Currit decennium, si gravamen sit momentaneum.

1. Circa appellationem tria potissimum considerantur tempora, nempe tempus interponendae appellationis, tempus petendi Apostolos, & tempus proseguendae ac finiendae appellationis. Et haec tempora vocantur tempora fatalia appellationis, quia nisi intra ea respectivè interponatur appellatio, petantur Apostoli, & fiat prosecutio appellationis, ejusque causa terminetur, nisi elapsis appellatio efficitur deserta & quasi mortua aut facta quodam extinguitur, l. Cum lite mortua D. l. iudicatum solvi.

2. Quantum ad primum tempus attinet, olim de jure D. & Cod. poterat quis in causa quidem propria appellare intra biduum; in causa vero aliena intra triduum dumtaxat, & non ultra, l. Si quidem §. biduum, §. dies, §. in propria D. Quando appellandum fit, l. eos 6. §. fin autem Cod.

De appellatione. Hodie ex Justiniani Constitutione appellari debet intra decennium, id est decem dies, à die lata sententiae, vel centè à die scientiae, quo sententiam latam esse intellexerit is, qui appellare velit, Latè Scaccia De appellat. q. 11. n. 7. Idque obtinet, sive à definitiva, sive ab interlocutoria, sive ab alio gravamine, etiam extrajudiciali, appellatur, Auth. Hodie Cod. De appellat. e. Quod ad consultationem 15. sup. De sent. & re judicata, e. Cum dilectus, §. fin. sup. De illi, & alii similibus, Gaill. 1. Obser. 130. sine discrimine causae, propriae aut alienae: licet etiam sententia sit sub conditione lata l. 1. §. biduum D. Quando appellandum fit, eam. Biduum 2. q. 6. Scaccia d. loco n. 111. Atque hoc tempus locum quoque habet in supplicationibus, Auth. Quae supplicatio Cod. De precib. Imp. offerim. Glof. in e. Si significaverunt sup. de testibus: neque ex Judicis permissione aut partium consensu prorogari potest, Gloss. communiter approbata in d. e. Cui sit Romana 5. h. r. Gaill. 1. Obser. 139. n. 6. licet valeat statutum vel stylus illud augens, vel diminuens.

3. Currit autem, secundum jus commune, de momento ad momentum, à die, ut dixi, latae sententiae vel scientiae d. Auth. Hodie, d. cap. Quod ad consultationem, Gloss. in Clement. Sicut de appellat. in 7. dicitur tamen, ut ab initio sit utile, quia tempus illud non currit impedito vel ignoranti, nisi sit verè contumax; sed postmodum efficitur continuum, l. 1. §. dies D. Quando appellandum: ita ut etiam feriae solemnes includantur, l. 1. Cod. De feriis, l. Sive pars, §. feria C. De dilationibus.

4. Et si infra hoc tempus non appelletur, sententia transit in rem judicatum, & appellatio efficitur deserta, d. Auth. Hodie & ibi communiter DD. d. e. Quod ad consultationem, & d. e. Significaverunt. Nec sufficit appellanti, si probet se appellasse, nisi probet etiam se intra debitum tempus appellasset, Scaccia De appellat. q. 11. n. 40. In dubio autem, an lapsum sit ultimum momentum decennii, judicandum, non esse lapsum & consequenter appellacionem non esse desertam, ne jus aliter pereat: quo fit, ut in dubio etiam deferendum sit appellacioni.

5. Sed & si tertius aliquis pro suo interesse velit adherere appellacioni, per alium interpositae, vel fatam habere appellacionem ab alio absque mandato legitimo nomine suo interpositam, id etiam facere tenetur intra decem dies,

dies, *Ve circa Deola in 6. Gaill. 1. Obser. 112.*
 Sin autem prosequi appellationem velit ab alio
 interpositam, pro suo interesse, tunc etiam ad-
 mitti debet, licet non appellaverit, *l. Ab execu-
 tore 1. §. 2. D. h. tit. c. Cum super 23 sup. De officio
 jud. delegatis:* quia per appellationem manet in
 suspenso sententia, & omnibus, quibus grava-
 men illarum est, aperta est via; ita ut alia appella-
 tione opus non sit. Ideoque appellatione semel
 coram Judice ad quem introducta, ipse appella-
 tis potest adherere appellationi appellantis, &
 deducere sua jura, antea non deducta, perinde ac
 si ipsemet ab initio debito tempore appellasset,
 quamvis appellas nolit suam appellationem pro-
 sequi, quia appellatio est communis utriusque parti.

6. Quod autem diximus, appellandum esse
 intra decem dies à dicitur sententiæ vel saltem
 scientiæ, illud obtinet, quando gravamen est
 momentaneum: secus, quando tractum successi-
 vum, & causam habet, continuam, cujusmodi
 est incarcerationio, excommunicatio, interdicitum:
 nam tunc, quamdiu durat, sine præfinitione
 temporis: quasi à præfenti & continuo gravame-
 ne appellare licet. Sic incarcerationis semper ap-
 pellare potest, etiam ultra mensis. quia semper
 gravatur. Similiter toties quia appellare potest,
 quoties citatur ad locum non tutum, quia gra-
 vamen istud causam habet continuam, & quo-
 ties de novo citatur, toties de novo gravatur.

Hoc tamen non procederet, si Judex esset
 interlocutus, illum justè fuisse carceratum,
 aut locum esse tutum: quia tunc intra decem
 dies à die interlocutionis appellandum esset, &
 alias sententia transiret in rem judicatam, nec
 ulterius appellare liceret, *Gaill. 1. Obser. 139. n. 14.*
 quia sententia contra jus partis lata, si ab ea non
 appellaretur, transiret in rem judicatam, *l. Cum Pro-
 latis D. De judiciis.* Et propterea hoc tempus de-
 cem dierum dicitur fatale, quia eo lapsò perit
 facultas appellandi.

§. VIII.

Qualiter sit interponenda appella-
tio.

1. Appellatio presentanda est iudici vel causa
 Notario.
2. 3. Libellus appellatorius quid continere de-
 beat.

1. IN primis ita interponenda est, ut de ea in-
 terposita appareat. Non tamen est necessè
 illam præsentare Judici, sedenti pro tribunali,
 sed potest ubique præsentari, ad hoc, ut sen-
 tentia non transeat in rem judicatam: imò suf-
 ficat illam præsentare actorum magistro seu
 Notario, absque Judice, *Maranta 6. p. act. n. 134.*

2. Tamen verò plerumque in usu sit, ut in
 libello appellatorio exprimat nomen Judicis
 à quo, Judicis ad quem, & adversarii, *l. 1. §. libelli
 D. h. t.* tamen non videtur omnino necessaria ista
 expressio, ut, si quid istorum omittatur, metuen-
 da sit præscriptio, *l. Seco 5. in princ. D. h. t.* Quam-
 quam commodissimum foret, exprimi nomen
 Judicis à quo, ut intelligi possit, à quo Judice &
 à qua sententia appelletur, & an ordine debito.

3. Nomen verò Judicis ad quem licet non ex-
 primatur, tamen censetur provocatum ad eum,
 ad quem de jure provocari debet, *l. 1. §. si quis in
 appellatione. l. Imperat. D. hoc t.* Et ideo hujusmo-
 di appellatio generalis, etiam de jure Canonico,
 subsistit, quia illo quoque jure gradatim appel-
 lari debet, exceptis paucis casibus specialibus:
 nam in dubio quis censetur velle uti jure con-
 muni, non speciali *Imola in l. 1. nu. 16. D. h. t.*
 & incertitudo, si quæ sit in hujusmodi appella-
 tione, apertissime declaratur, dum appellans suam
 appellationem introducit & prosequitur. Reli-
 qua huc spectantia patebunt ex §. seq.

§. IX.

De differentia definitivæ ab interlocuto-
ria quoad interponendam ap-
pellationem.

1. A definitiva statim & inconsistenti appellatur
 viva voce.
2. Ab interlocutoria non nisi in scriptis.
3. Nisi vim definitivam habeat.
4. Appellatur à definitiva non expressa causa.
5. Ab interlocutoria non nisi expresso gravamine.
6. Appellatio à definitiva ex novis actis justificari
 potest.
7. Ab interlocutoria non nisi ex antiquis actis.
8. Pendente appellatione ab interlocutoria, iudex
 procedere potest.
9. Non à definitiva.

G g 3

Quoad